

The seal of the State of Puebla is partially visible on the left side of the cover. It features a circular design with the text "ESTADO LIBRE Y SOBERANO DE PUEBLA" around the perimeter and "NUEVO LEON" at the bottom. The central part of the seal depicts a classical architectural structure with columns and a pediment.

**BULA DE ERECCION**

**DEL**  
**OBISPADO DE CHILAPA.**

BX1430

C5

B8

c.1

BX1430


C5

B8


c.1



1080025723



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



LITTERE APOSTOLICE DIEI XXVI JANUARIJ  
MDCCCLXII QUIBUS SSMUS DOMINUS NOS-  
TER PIUS PAPA NONUS EPISCOPATUM DE FONDO EMETERIO  
CHILAPA ERIGERE DIGNATUS EST VALVERDE Y TELLEZ

IN NOMINE DOMINI AMEN 126433

Cunctis ubique sit notum quod anno a Na-  
tivitate Domini Nostri Jesu Christi millesi-  
mo octingentesimo sexagesimo tertio die ve-  
ro XXV mensis Martii Pontificatus autem  
SSmi Domini Nostri Pii Pape Noni anno  
decimo septimo Ego Officialis deputatus vidi  
et legi quasdam Litteras aplicas sub Plumbo  
expeditas tenoris sequentis videlicet

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD  
PERPETUAM REI MEMORIAM

Grave nimis cum sit etiam Angelicis humeris formidan-  
dum Episcopale munus ad illud aptius ferendum valde  
noscitur circa aliquas Ecclesias Antistite fulgentes expe-  
dire ut ex partibus illarum Dioceseum que contermino  
sunt et longius ab earum Presulibus distant alterum Epis-  
copale territorium accommode efformetur Hac enim serva-  
ta propinquiorum locorum assignatione qui in partem Apos-  
tolice Nostre sollicitudinis vocantur promptius in anima-  
rum salutem omnimodam curam industriam et labores  
suos impendunt atque uberes in agro Domini eis attributo  
fructus procurare non desinunt

Qua siquidem provida sentiendi ratione impulsus fel. rec.  
Pius Papa Septimus Predecessor Noster cum agnovisset



habitatores Mexicane Regionis ad Oceanum suri nuncupatum in summa spiritualis pabuli necessitate versari ac Episcopos illarum Diecesum nimia itinerum longinquitate et asperitate impediri quominus ad eas partes accederent ex quo eveniebat ut Incole ipsi nec oratione nec exemplo ad Catholice Religionis cultum et disciplinam exacte observandam facile excitarentur per suas Apostolicas Litteras incipientes—Universi Dominici Gregis—ac Datas Rome anno Incarnationis Dominice millesimo octingentesimo sextodecimo Quinto kalendas Martii Pontificatus sui anno sextodecimo ab Archiepiscopatu Mexicano ac Episcopatibus Tlascalensi vulgo Puebla de los Angeles et Mechoacanensi nonnullas illarum Diecesum partes sejunxit novamque ex eis erexit Episcopalem Sedem de Chilapa nuncupandam quam statuere Voluit in Oppido ejusdem nominis quod ob aeris salubritatem et Loci opportunitatem aptissimum ad id opus censebatur

Verumtamen he Littere ob subortas eo tempore in illis Regionibus perturbationes rerumque dein immutationes ac ob sequiorum temporum diutina incommoda et jacturas executioni demandari haud potuerunt nec hodieum si exequerentur juxta formas inibi prescriptas idoneum effectum undequaque obtinere valerent Hoc sane deprehendimus a Venerabili Fratre Nostro Pelagio Antonio de Labastida hodierno de Puebla seu Tlascalensi Antistite qui eo quo flagrat zelo pro Catholica Religione et animarum salute promovenda sollicitas huic Sancte Apostolice Sedi obtulit supplicationes implorandi gratia ut opportunam Episcopatus de Chilapa erectionem nunc tandem juberemus novaque proposuit ad eo scite excogitata elementa et rationes ad exoptatum spirituales finem consequendum

Quibus omnibus aliisque etiam antea eidem Apostolice Sedi expositis ad trutinam revocatis ac mature perpensis Nos qui nullis suffragantibus meritis sed summa divina bonitate universali Catholice Ecclesie presidentes ut felici et expedito Populorum regimini consulamus juxta occurrentes opportunitates Diecesum assignationes cuique Episcopali Ecclesie concinnius accomodare non omittimus nonnulla presertim pro salute animarum moderando immutan

do ac etiam justis suadentibus causis revocando que a Predecessoribus Nostri concessa noscuntur memorati Pelagii Antonii Antistitis postulationes ex animo laudantes Ejusque enixa vota benigno amplissimoque favore prosequi Volentes omnesque et singulos quibus he Nostre Littere favent et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque sententiis censuris et penis Ecclesiasticis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium tantum consequendum harum serie respective absolventes et absolutos fore censentes ac omnium et quorumcumque in hujusmodi negocio interesse habentium seu quomodolibet habere presumentium consensui ex suprema in singulas Ecclesias Apostolica Auctoritate quam plenius harum serie supplentes nec non enunciatis Pii Predecessoris Litteras in omnibus simili Auctoritate abrogantes Motu Proprio et ex certa scientia deque Apostolice potestatis plenitudine universum territorium quo late hodieum patet Civilis Provincia de Guerrero nuncupata ac inibi consita queque Oppida seu Parecias Pagos aliaque Loca nec non tres Paroquiales Ecclesias extra dictum Territorium sitas et Cutzamala — Huetamo—et Churumuco—nuncupatas (1) una cum singulis illic undique existentibus rebus Ecclesiis Oratoriis utriusque sexus Incolis cujusque sint gradus ordinis et conditionis Religiosorum Fratrum Cenobiis Monialium Claustris ceterisque de more accessoriis a Metropolitana Mexicana suo Presule modo viduata aliisque Mechoacanensi et Tlascalensi quibus partito et respective subsunt Ecclesiis Apostolica Auctoritate perpetuo disjungimus et dismembramus ac ab Ordinaria jurisdictione et spirituali dominatione et administratione pro tempore existentium Mexicani Mechoacanensis et Tlascalensis Antistitum eadem Auctoritate eximimus et dissolvimus Ac civicum Oppidum de Chilapa Episcopali residentie jam uti premititur designatum quippe quod ex latiore etiam suo ambitu

(1) La parroquia de Huetamo quedó perteneciendo al Arzobispado de Michoacan, y el pueblo de Churumuco al Obispado de Zamora, según convenio celebrado con aquellos Ill. mos. Prelados y confirmado por el Illmo. Sr. Arzobispo Labastida, comisionado por la Santa Sede para poner en ejecución la Bula.



domorumque et majorum edificiorum apparatu nec non opportuna rerum adhibendarum copia ac nonnullorum commodiorum adminiculorum congruentia inter alia circumscita Oppida prestare perhibetur ad Civitatis etiam Episcopalis fastigium fruiture posthac omnibus et singulis honoribus juribus prerogativis gratiis et favoribus quibus modo ceteris Episcopales in Mexicana Republica Civitates de communi jure legitimoque usu insigniri et frui solent Apostolica Auctoritate prefata etiam perpetuo evehimus et attollimus atque adeo in Episcopatus noviter erigendi de Chilapa ejusque in tempore Antistitis residentiam erigimus

Itemque majorem que illic extat Parochialem Ecclesiam in Cathedralis sub eadem utique invocatione permansuram ac eandem servaturam Parochialitatem cum cura animarum uti antea exercenda dicta Apostolica Auctoritate instituimus Precipiendo ut in Cathedrali sic instituta erigatur Cathedra Sedes et Dignitas Episcopalis pro uno in posterum Antistite de Chilapa nuncupando qui sue Episcopali Ecclesie et Diocesi atque Clero et Populo presit ac Ecclesiastice sue jurisdictionis ordinarie gubernio probe salubriterque prospiciat Religionem Catholicam Apostolicam Romanam una cum suis juribus et prerogativis quibus ex Dei ordinatione Sacrorumque Canonum Constitutionibus frui debet omnino sartam tectamque tueri magisque promovere satagat Sacram sue Diocesis visitationem statutis per eosdem Canones temporibus obire Synodum Diocesanam aliquando convocare et conficere suasque Instructiones Ordinationes Mandata et Decreta tum ad Ecclesiastice administrationis munera quaquaversus explenda tum ad rectam morum disciplinam observandam erogare et efficaciter promulgare eaque omnia que Pastoralis sui Ministerii sui que Fori Ecclesiastici ratio rerumque item Ecclesiasticarum sive necessitas sive opportunitas requirunt animadvertere ordinare et decernere valeat et debeat quin ab ullo unquam distrahi vel prepediri quovis utcumque colorato titulo ullatenus possit Communionem denique obviam et prorsus liberam cum universo suo Clero et Populo eoque magis cum hac Sancta Apostolica Sede semper et quancumque habere et tueri curet et gaudeat aliisque omnibus

et singulis defungatur que ordinarie Episcoporum propria sunt ac ea cuncta sive personalia sive realia sive mixta jura honores facultates prerogativas preeminencias et cetera quibus alii Mexicane Reipublice Episcopi rite fruuntur pariter planeque obtineat

Porro nove sic erecte Ecclesie de Chilapa cuncta Oppida seu Parecias Pagos aliaque Loca que in enunciato territorio continentur nec non superius indigitatas tres Parecias Cutzamala nempe Huetamo et Churumuco in propriam Diocesim ita quod illa Aquilonem versus usque ad diocesanos uti mox fuerint circumscripti limites tum Mexicane tum Mechoacanensis et Tlascalensis Ecclesiarum patebit ac Orientem versus usque ad alteram de Antequera Diocesim prestabit Que demum aspicit inter Aquilonem et Occidentem nec non Meridiem inter et Orientem Oceani Pacifici litora attinget pari Apostolica Auctoritate etiam perpetuo adjudicamus ac nedum civitatem de Chilapa atque Oppida seu Parecias Pagos aliaque Loca in dicto territorio extantia nec non memoratas extra eam tres Pareciales Ecclesias sed etiam ceteras illud undequaque consitas res Ecclesias Oratoria Religiosa item utriusque sexus Monasteria et pia queque instituta consuetaque accessoria cum omnibus et singulis utriusque sexus Incolis qui tamen specialis exemptionis privilegio minime gaudeant confestim ordinare pro tempore existentis Episcopi de Chilapa jurisdictioni administrationi et regimini simili Apostolica Auctoritate subjecimus Jubendo ut omnia instrumenta libri fundationes Ecclesiastice in pias causas testamenta ac reliqua scripta Ecclesiasticos titulos vel personas ac Parecias ut supra diunctas earumque jura rationes seu privilegia respicientia a Mexicana et Mechoacanensi et Tlascalensi respective Cancellariis pro opportunitate discernantur ac alteri de Chilapa Cancellarie ad quamcumque necessitatem et normam tradantur

Quo vero ad Capitulum Cathedralis Nos habita peculiarium circumstantiarum ratione interim Apostolica Auctoritate injungimus ut quamprimum in dicta Cathedrali Ecclesia de Chilapa juxta Sacrorum Canonum prescriptum erigatur Capitulum quod usquedum majores redditus nu-



merum Canonicorum et Beneficiariorum pro necessitate adaugere non sinant una constabit dignitate Archidiaconatus titulum preferente et quatuor Canonicatibus cum suis Prebendis et dotationibus pro totidem Ecclesiasticis idoneis Viris qui quotidie divino cultui ex more institutoque inservire et Ecclesiastica officia sedulo absolvere ac cunctis honoribus juribus facultatibus prerogativis gratiis favoribus et privilegiis quibus de Communi jure cetera in Mexicana Republica Cathedralium Capitula fruuntur potiri debeant Indulgentes tamen ut propter exiguum hoc Canonicorum numerum Canonicatus Penitentiarius seu Magistralis ac Theologalis seu Doctoralis omittantur confirmata obligatione Canonica illos instituendi statim ac oportunitas congruaque rerum facultas obvenerit prescripto si hoc contingerit concursu pro utraque Prebenda hujusmodi ad tramites Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum Interim etiam superaddatur Quatuor Beneficiariorum seu Capellanorum numerus qui et choro aliisque quibusque functionibus interesse et Altari in Officiis Diaconi et Subdiaconi alternis vicibus deservire debeant ac quorum Prior etiam Secretarii Capitularis ac Secundus Magistri quoque ceremoniarum Tertius vero Censoris etiam seu Punctatoris quoad illegittime absentes Tandem Quartus Sacellani quoque Majoris munera obire teneantur reservatis Eius prerogativis et gratiis quibus aliorum hujusmodi Cathedralium Beneficiariorum seu Capellanorum Ceteris potiuntur Cui quidem Capitulo ut omnes Archidiaconus et Canonici ac Beneficarii seu Capellani tam in dicta Cathedrali Ecclesia quam extra eam (diecesanos tamen intra limites) quoties Capitulariter convenerint indumenta et insignia Choralia que communiter tum Dignitatibus tum Canonicis tum Beneficariis ceterarum Cathedralium Mexicano Republice usuvenerint (iis dumtaxat exceptis que forsitan peculiari ex privilegio vel oneroso titulo impertita fuerint) libere et licite gestare et adhibere valeant dicta Apostolica Auctoritate perpetuo etiam concedimus et indulgemus eidemque Capitulo veniam et facultatem tribuimus et impertimur conficiendi sibi Capitularia Statuta Ordinationes et Decreta Sacris Canonibus Apostolicis Consti-

tutionibus et Tridentine presertim Synodi prescriptis consentanea que de Chilapa Presulis judicio subdenda sint et non nisi post ejus approbationem roboratam legis vim obtineant

Preterea ad Episcopium quod spectat simili Apostolica Auctoritate jubemus ut illico in dicta Civitate de Chilapa comparentur opportunaque suppellectili decenter instructi adjudicentur illi Episcopali Mense tot edes quot pro Episcopi habitatione proque Curia et Cancellaria idonee et sufficientes dignoscantur ipsi tamen Cathedrali quoad fieri poterit proximiores

Pari ratione quum optabile sit ut adolescentes in Ecclesiasticam Militiam vocati continuo ac solerter educari et institui valeant unde boni et industrii Evangelice vinee prodeant Operarii qui uberes et saltares fructus per totam Diecesim afferre ac propagare adlaborent Ideo dicta Apostolica Auctoritate precipimus ut idoneum satis edificium sollicitè parandum in Seminarium instituatur quod juxta Canonicas formas et leges ac Concilii Tridentini prescripta observanter et accurate ex principali et libera Episcopi diecesani omnimoda providentia ac superiori in omnibus Auctoritate gubernetur

Jam vero cum singule novi hujus Capituli dotationes in bonis stabilibus prout sacri Canones prescribunt fundari nunc haud valeant ideo habita instantium necessitatum et circumstantiarum ratione ac declarando quod favore tum Episcopalis Mense tum Cathedralis Ecclesie ejusque Capituli et Cleri tum aliarum quoque minorum Ecclesiarum et quorumcumque piorum Institutorum bona etiam stabilia legari adquiri plenoque demum cum dominio possideri administrari et vindicari libere valideque queant pari Apostolica Auctoritate statuimus ut Decimarum solutione singulis diecesanis dotationibus satisfiet ita nempe ut singule ipsarum Decimarum collecte in unica Communi Massa primitus quoquo anno coacerventur ac detractis prius expensis pro earum perceptione et scutatis sex pro quolibet centeno Fabricae et Sacrario Cathedralis Ecclesie quotannis tribuendis atque in utriusque opportunos usus impendendis Medietas decimarum in duas equas partes divisa una



Episcopo et altera Capitulo permanenter solvatur et que Capitulo contigerit in quinquaginta tres portiones subdividatur quarum tredecim Archidiacono et decem unicuique ex quatuor Canonicis tradatur altera vero Medietas novem partes adhuc efficiet quarum una dictis quatuor Beneficiariis seu Capellanis Cathedralis in totidem equales portiones subdividenda ac tres Parochis diecesanis proportionali nimirum habita ratione decimalium reddituum quos ab unaquaque Parocia in communem Massam pervenisse Episcopo innotuerit altera autem cum dimidia Fabricis et Sacra-riis Ecclesiarum Parochialium et item alia cum dimidia Hospitalibus domibus aliisque piis Institutis Diocesis Ecclesiastice tamen Auctoritati subjectis tandem due Seminario diecesano assignentur Cauto ceteroquin ut e tertia parte singularum Prebendarum que pro Archidiacono et Canonicis nec non pro Beneficiariis seu Capellanis ita sint constituta quotannis efformetur Massa singulatiim pro diebus et horis in quotidianas distributiones tribuenda iis qui divinis Officiis rite diligenterque interfuerint

Facultatem autem impertimur Episcopo de Chilapa quatenus unam tantummodo ex diecesanis Parociis sibi preservare licite possit administrandam per Vicarium ab eo deputandum congruaque pensione munerandum provido nempe consilio ut decimales redditus hujus preservate Parociae queant et debeant prudenti ipsius Episcopi arbitrio et providentia protinus erogari ad reparandas vel sublevandas indigentias eoque magis necessitates urgentissimas que intra Diocesim solent plerumque obvenire

Itemque ut si revera comperiatur quod prioribus presertim annis ii decimarum proventus in simultaneam et congruam Chilapani Episcopi et Capituli ac aliarum connexarum Institutionum Ecclesiasticarum sustentationem plane sufficere non valeant tunc ipsemet Episcopus provido suo iudicio sui que ad libitum effectivam sive Capituli sive aliarum Institutionum hujusmodi foundationem suspendere valeat usque dum exploratum fuerit decimales hosce proventus eo attingisse quo congrue dotes eidem Capitulo ac ceteris omnibus vel alterutri ex inditis Institutionibus suppeditari possint durante tamen istiusmodi suspensionis tem-

pore idem Episcopus arroget quidem ex earundem Decimarum Cumulo quotannis Mense Episcopali Octo tantum scutorum Mexicanorum Millia et quidquid supererit in peculiari Massa reservare teneatur donec fas sit singularum dietarum Institutionum etiamsi paulatim juxta majoris necessitatis seu opportunitatis ordinem conficiendarum doti seu pensioni congrue jugiterque prospicere

Eandem enunciata de Chilapa Episcopalem Ecclesiam in Suffraganeam Archiepiscopatus Mexicani cum omnibus quibusque juribus honoribus prerogativis gratiis et indul-tis que pariter cetera Suffraganeae Ecclesie Metropolitana-rum in Mexicana Republica ac vicissim solent de jure pre-ferre legitimoque in usu tueri dicta Apostolica Auctori-tate subjicimus ac Canonicam ejusdem de Chilapa Ecclesie Taxam pro Litterarum Apostolicarum expeditione quoties Antistes illi proficiendus fuerit in aureis Florenis de Ca-mera Centumquinquaginta tribus cum tertia ejusdem Flo-reni parte statuimus sicque in Libris Camere Apostolice Sacrique Sancte Romane Ecclesie Cardinalium Collegii inscribi et observari Mandamus

Et insuper Nobis et Apostolice Sedi facultatem reserva-mus nedum novam sic institutam Diocesim de Chilapa ali-quatenus dismembrandi seu denuo circumscribendi verum etiam Ecclesiam ipsam de Chilapa alterius Metropolitane juri subjiciendi si et quomodo visum fuerit in Domino magis expedire ac Presentes quoque Litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis aliove quocumque vitio seu intentionis Nostre aut quolibet alio defectu quantumvis ju-ridico et substantiali etiam ex eo quod omnes et singuli in premisis quomodolibet interesse habentes vel habere putan-tes aut pretendentes cujuscumque qualitatis status gradus conditionis et dignitatis existant ad id vocati citati et auditi non fuerint ac iisdem presentibus non consenserint ac cause propter quas premissa omnia et singula emana-runt minime vel minus sufficienter examine fuerint et ex quocumque alio capite quantumvis legitimo pio privilegia-to ac speciali nota digno impugnari retardari invalidari in-fringi aut irritari seu ad viam et terminos juris reduci si-



ve adversus illas Oris aperitionem seu aliud quodcumque juris vel facti aut gratie seu justitie remedium etiam ex causa lesionis quantumvis enormis et enormissime vel cujuscumque prejudicii impetrari ac etiam Motu scientia et potestatis plenitudine similibus per quoscumque Romanos Pontifices Successores Nostros quomodolibet contra premissa concessum acceptari ac in judicio et extra illud allegari deduci aut alias illo quomodolibet uti non posse quin imo omnia et singula superius disposita semper et perpetuo firma valida et efficacia existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere illaque sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus suspensionibus limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus minime comprehendi nec comprehensa aliquo modo censeri sed semper ab illis excipi et quoties ille emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restituta reposita et plenarie reintegrata ac de novo etiam sub quacumque posteriori Data quodcumque eligerda concessa esse et fore sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos quavis Auctoritate fungentes etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sancte Romane Ecclesie Cardinales etiam de Latere Legatos Vice-Legatos dicteque Sedis Nuncios ac alios quoscumque quavis auctoritate potestate prerogativa honore et preeminentia fulgentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane Decernimus

Quocirca memorato Pelagio Antonio Antistiti quem Nos in Novum Mexicanum Archiepiscopum in proximo Consistorio proponendum duximus per easdem presentes committimus et Mandamus quatenus ad executionem premissorum omnium procedat opportunas et necessarias ei imperpetuando facultates quibus is alteram personam in Dignitate tamen Ecclesiastica constitutam subdelegare valeatita quod idem Pelagius Antonius Antistes vel ejus Subdelegatus in Exequutoriali Decreto singula ipsius Dieccis de Chilapa

Oppida seu Parecias accurate describere debeat ac ea cuncta possit ordinare disponere declarare ac etiam definitive appellatione super quavis questione si qua forsitan incidit penitus remota decernere que oportuerint ad totum hoc negotium probe feliciterque perficiendum

Non obstant enarratis Pii Predecessoris Litteris nec non Nostris et Cancellarie Apostolice regulis de jure quesito non tollendo ac de dismembrationibus ad partes committendis vocatis quorum interest nec non Lateranen Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohiben aliaque etiam in Synodalibus Provincialibus Generalibus Universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel Generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis dictarumque Mexicane Mechoacanensis et Tlascalensis Ecclesiarum etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus Privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis quibusvis Superioribus et personis in genere vel in specie aut alias cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam Motu scientia et potestatis plenitudine similibus itemque Consistorialiter seu alias in contrarium premissorum quomodolibet forsitan concessis approbatis confirmatis et innovatis quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua non autem per clausulas Generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem presentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime et amplissime ac specialiter et expresse ad effectum presentium et validitatis omnium premissorum hac vice dumtaxat Motu scientia et potestatis plenitudine paribus Derogamus ceterisque contrariis quibuscumque Et qualibet alia dicte Sedis Apostolice indulgentia specia-



li vel generali cujuscumque tenoris existat per quam eisdem presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri vel differri valeat et de qua cujuscumque toto tenore habenda sit in ipsis Litteris mentio specialis

Volumus autem quod idem Pelagius Antonius Antistes vel ejus Subdelegatus sex infra menses ab expleta earundem presentium executione ad hanc Sanctam Sedem transmittere teneatur exemplar authentica forma exaratum quorumcumque decretorum in executione ipsa ferendorum ut hec etiam in Archivio Congregationis ejusdem Sancte Romane Ecclesie Cardinalium Consistorialibus negotiis preposite ad perpetuam Rei memoriam et normam conserventur

Volumus etiam quod earundem presentium transumptis etiam impressis manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis et Sygillo alicujus persone in dignitate Ecclesiastica constitute munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur que eisdem presentibus adhiberetur si forent exhibite vel ostense

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostre absolutionis suppletionis dismembrationis exemptionis erectionis institutionis adjudicationis injunctionis concessionis indulti jussi precepti declarationis statuti impertitionis subjectionis decreti commissionis mandati derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum

Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo octingentesimo sexagesimo secundo Septimo kalendas Februarii Pontificatus Nostri anno Decimoseptimo=Loco † Plumbi

Super quibus Litteris Ego Notarius Apostolicus presens Transumptum confeci presen-

tibus D. D. Henrico ac Cesare Angelini testibus B. N.

MARIUS CARD. MATTEI  
Prodat.

Loco † Sygilli

Concordat cum originali.  
A. GIANSAANTI  
Offlis. Dptus.

Ita est.  
Pro Dno LUDOVICO TACETTI  
ANGELUS PUTUZI  
Notarius Subs.

Loco † Sygilli

HENRICUS ANGELINI

CESAR ANGELINI®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





U A N

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
ASOCIACIÓN GENERAL DE BIBLIOTECARIOS